



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

XXI. Vdalricus II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

in suis miseris confusum, cunctis vsquequaque patribus eiusdem fortuna timendum fore pramonebat exemplum. Quade causa nullus iam per Italiam liber transitus eisdem paruit legatis. Gebhardus tantum Constantiensis Episcopus cum suis per occultiores alpinum semitas ingressus Mathildis comitissa, alterius nimirum Debbara, Praesidiis, Apostolicis presentantur vestigiis. Reliqui, ut diximus, magnates, ut nimirum a stultissimo captiuatore deprehensi indignè tractantur, praeter Ottonem Babenbergensem Episcopum: cui idem Adalbertus, eo quod esset suus miles, parcere cogebatur. Quo etiam mediante Bruno Treuirensis Episcopus, & VVigbertus Comes eo pacto dimittuntur, quatenus & imperatorem cum illo pacem facturi, conueniant, & quid idem reliquis ipse precipiat, relaturi redeant. At Iesus, qui semper prope est omnibus se inuocantibus, & his iuxta qui tribulatosunt corde, repente super eosdem sibi rebelles, VVelphonem ducem Noricum, quasi gladium de vagina sua eduxit, qui tertia superueniens die, manu valida* clusas obstruètas effregit. Gebhardum virum probatum Tridentina Ecclesia constitutum à Rege Catholico nouum Episcopum, quem nunquam se suscepturos ciues ipsi conspirauerant, recipi coëgit, ipsum quoque Adelbertum, sui q̄, sceleris complices adeo perterruit, ut eductos, quos clauserant Principes, ipsum q̄, Castellum nouo Episcopo redderent, ipsi insuper nudipedes, ab his quos afflixerunt, veniam postularent.

* clusas.

XXI. Vdalricus II.

Vlrico cura fuerat disponere iura.

Præfuit Episcopatu annis XIII. Excessit ex mortaliu numero, anno M. C. XXV. III. Nonas Septembris. Quo anno sæua pestis plurimos sustulit, & in his etiam Vdalricum Antistitem; de qua Vrspergensis in Chroni-

Chroni-

Chronico. Hoc anno nonnullos ex nobilitate, una cum innumera multitudine vulgarium mortalitas absumpsit. Inter quos Vdalricum Eihstattensem, ac Ruoggerum Virzburgensem, Arnoldum quoque Comitum Arnoldi filium, bona indolis adolescentem, pluresque alios fors ultima prebit. Nam post vulgi stragem immensam tam fame, quam pestilentia, iudicio diuino, parata lues tanta, tamque indifferens per populos ubique grassari cepit, ut nulli conditioni, sexui vel aetati parcendum fore mors minaretur pallida: vixque viui sufficerent ad curanda defungentium cadauera.

XXII. Gebhardus hoc nomine Secundus.

Quando vivebat Gebehart in iure vigeat.

Ex nobilissima Comitum Hirspergensium familia. Electus anno M. C. XXV. Sedit annos XXIV. Mortuus M. C. XLIX. XVI. Kalend. Aprilis. Habuit germanum fratrem Comitem Hirsbergensem Ernestum, inquit Bruschius, qui anno Domini M. C. XXIX. pietatis Christiana zelo construxit ac fundavit Blanckenstetensem Benedictinorum Abbatiam insignem. Gebhardus iste ex Prepositura Heidenheimensi iterum Benedictinam Abbatiam fecit, eiecit cum consensu Pontificis Maximi Eugenij tertij, Sacerdotibus, qui aliquandiu sub Preposito non admodum religiosè ibi vixissent. Res tamen caruit felici successu vsque ad Conradum Episcopum, ut liquet ex commentariolo Adelberti Abbatis Heidenheimensis de hoc ipso negotio.

Interfuit Gebhardus Synodo Rhemeni anno Domini M. C. XLVII. contra delirum quendam hæreticum Eum seu Eonem celebratæ, præsidente Eugenio III. Pontif. Maximo. Adfuit idem Præsul Mo-

Na 3 guntia